

CIRCA LIBRUM QUINTUM.

DE DISTINCTIONE, UNITATE ET CONTRARIETATE MOTUS.

QUÆSTIO XIX.

DE UNITATE, ET CONTRARIETATE MOTUS.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum genera motus sumantur penes diversa prædicamenta, ad quæ est motus?

Breviter supponenda est ex Aristotele in primo capite hujus libri, et D. Thoma ibi lect. II et XXVIII de Verit. artic. I, differentia inter mutationem et motum. Mutatio enim communior est, quam motus, nam mutatio in communi solum dicit transitum de quodam in quidam, qui ut dicit D. Thomas hic lect. II, ex ipso mutationis nomine manifestatur, quod importat aliquid esse post aliud et unum esse prius, aliud posterius. Hanc mutationem sic in communi consideratam dividit Aristoteles quatuor modis, quibus contingit aliquid mutari penes terminos ad quos. Aut enim mutatio est de uno termino positivo ad aliud, verbi gratia, ex calido in frigidum, vel de termino negativo in terminum negatum, ut de non albo in non nigrum, quod proprie non est mutatio, cum totum sit negatio: aut terminus e quo est negatio, et terminus ad quem positivus; seu de non esse ad esse, ut cum ex non albo fit album; aut denique e con-

tra terminus a quo est positivus, et terminus ad quem est negativus, ut de esse ad non esse. Et non possunt dari plures species, seu modi mutationum, quia nec plures combinationes possunt fieri inter terminos. Ex quibus solum illa mutatio, quæ est a positivo in positivum habet rationem motus stricte dicti, reliqua duo se habent ut generatio, et corruptio; generatio ut transitus de non esse ad esse; corruptio vero e contra. Excludit autem Philosophus generationem et corruptionem a ratione motus proprie dicti, quia generatio procedit a non esse simpliciter ad esse simpliciter: ergo supponit subjectum, quod non sit ens simpliciter, sed ens in potentia, qualis est materia prima secundum se, sed non ens, impossibile est quod moveatur, aut quiescat, ergo generatio non est motus ex eo quod non habet pro subjecto ens in actu: ubi Aristoteles solum excludit generationem substantialem, a ratione motus. Exinde vero colligit, quod corruptio non est motus, quia opponitur generationi, quæ motus non est.

In hoc discursu Philosophi duo advertit, id est, quam sit constans Aristoteles in ea sententia, quod materia prima secundum se, et remota forma non sit existens, nec etiam partialiter, alias enervatur totus discursus Philosophi in textu octavo hujus libri, quod materia non est hoc aliquid simpliciter, et ideo non posse moveri, quia impossibile

est, quod id quod non est moveatur, quæ consequentia nihil probat, si materia existit secundum se, saltem partialiter. Ideo enim probat Aristoteles materiam quæ non est, hoc aliquid non moveri, quia quod non est non movetur. Vel ergo hæc probatio loquitur de eo, quod non est, nec totaliter, nec partialiter, et sic habemus intentum, quod materia nec partialiter existit; vel loquitur de eo, quod non est totaliter, bene tamen partialiter, et sic probat idem per idem, esset enim sensus Philosophi, id quod non est, hoc aliquid, seu existens totaliter, non potest moveri, quia quod non existit totaliter, licet existat partialiter non potest moveri, quod est incidere in battologiam; et inefficaciter probaret non moveri materiam primam, quia non ens non potest moveri, si re vera materia prima est ens actu, restabat enim probandum quod ens actu partiale non moveatur.

Secundum quod adverte est, Philosophum in illo discursu plus concludere de motu, quam exprimit in probatione, concludit enim in fine capituli quod tempus proprie dictus non invenitur, nisi ubi mutatio est inter terminos positivos, non vero inter terminos, contractorios sicut inter esse et non esse; quod iterum repetit textu XLIX, et in hoc ponit totam differentiam motus a mutatione, quod motus est a contrario in contrarium, mutatio vero non. Probatio vero, quæ exclusit generationem a motu solum expresse loquitur de generatione substantiali. Fortasse autem non meminit generationis accidentalis, ut cum aliquid mutatur de non albo in album: frequenter enim conjungitur cum motu, quia in motu datur corruptio, et non esse termini a quo, et generatio termini ad quem, non tamen motus fit ea ratione, quæ est de non esse ad esse, sed quatenus est de positivo in positivum, seu de

contrario in contrarium. Si quando vero accidens generetur per transitum de non esse ad esse, et non de positivo in positivum, talis erit generatio secundum quid, ut docet D. Thomas in hoc libro, lect. II, et hæc reducitur ad generationem simpliciter, ideoque seorsum illius non meminit. Quod vero Martinus super hoc caput V, Physic. notat I, notat eos, qui dicunt generationem, et corruptionem non esse motus proprie dictos, eo quod non sunt inter terminos positivos, quia id inquit non somniavit Aristoteles, sane videtur ad pauca respexisse in Aristotelem cujus verba sunt in hoc capite: « Cum omnis motus sit quædam mutatio, tres vero sint mutationes, quas diximus, quarum duæ, quæ in contradictione consistunt, generatio scilicet, atque corruptio motus non sunt, ut ostendimus, motum eam esse solum mutationem necesse est, quæ ex subjecto ad subjectum acceditur. » Idem habet textu XLIX. Et denique in textu X, probat, in substantia non esse motum, quia in ea nihil est contrarium, cum in textu VII probasset, quod in ea non est motus, quia subjectum ejus est ens in potentia. Ergo non somniavit Aristoteles, sed vigilanter dixit generationem non esse motum, quia non est inter terminos positivos, et non solum quia ejus subjectum est ens in potentia: sed de hoc I lib. de Generat.

An vero mutatio, et motus distinguantur essentialiter ex eo præcise quod illa sit instantanea, iste successivus; illa inter terminos contradictorios, iste inter positivos, et contrarios, respondetur ex hoc præcise non differre specie, nisi termini ad quos, sint specie diversi; mutationes enim, et motus specie non differunt nisi ex diversitate termini ad quem. Reliqua vero, quæ pertinent ad diversitatem termini a quo, vel ad la-

itudinem et distantiam ab uno in aliud et ad diversam durationem motu accidentale est in motu, et mutatione. Diversitas enim termini a quo non variat speciem, quia terminus a quo relinquitur: quod autem specificat, non relinquunt, sed in illud tenditur, et illud accipitur, et ita D. Thomas 1 part. quæst. xxiii, articulo 1 ad 3 docet: « Quod motus non accipit speciem a termino a quo, sed a termino ad quem, sicut ad rationem dealbationis parum refert, quod qui dealbatur, fuerit niger vel pallidus. » Quod vero sit distantia, vel latitudo in motu, et non in mutatione, ex eo contingit, quod terminus a quo mutationis est privatio, inter quam et esse nulla est latitudo: terminus vero a quo in motu est aliquid positivum, quo fundat latitudinem ad alterum terminum positivum, et sic habere, vel non habere latitudinem reducitur ad diversitatem termini a quo, qui essentialiter rationem mutationis non diversificat. Nec obstat, quod in ascensu et descensu diversitas stare possit etiam respectu ejusdem termini ad quem, solum propter diversitatem termini a quo. Hoc inquam non obstat, quia isti motus sunt diversi, non ex diversitate termini a quo præcise, sed quia terminus ad quem formaliter diversus est; nam in loco non solum attenditur illud materiale spatium in quo res collocatur, sed ipse ordo situationis, secundum quod aliquid est inferius, vel superius in universo, et sic, quia respectu descensus ille locus est inferior, et respectu ascensus superior, dicitur formaliter esse diversus locus.

His suppositis restat explicare, ex quo principio sumatur diversitas generica motuum. Ad quod respondetur, diversitatem genericam motus sumi ex diversitate prædicamentorum, ad quæ est motus, et dari

motum ad prædicamentum, nihil aliud est, quam terminum motus pertinere ad tale prædicamentum. Conclusio hæc est Aristotelis in hoc libro, textu xxxi, ubi inquit: « Quod genere unus est motus secundum prædicamenti figuras; » super quem locum S. Thomas lect. vi, inquit: « Quod dicitur motus unus genere secundum figuras prædicamenti; omnes enim, qui sunt in una coordinatione prædicamenti, possunt esse unus motus genere; sicut omnis loci mutatio est genere unus motus, quæ est in uno prædicamento ubi: differt autem genere ab alteratione, quæ est in prædicamento qualitatis. » Ratio sumitur ex dictis supra quæst. xiv. Quia motus essentialiter respicit terminum ad quem, cum sit tendentia ad illum, in tantum quod motus non est aliquid præter res, ad quas est motus, sed se habet ut fieri earum, et ipse ut terminus, ergo ubi res ipse, quæ sunt terminus motus, differunt genere, etiam motus ipsi genere diversi sunt. Et hæc ratio etiam probat de generibus intermediis, et speciebus infimis, quæ in motibus variantur secundum speciem terminorum, ad quos est motus, ut dicit ibidem Philosophus et D. Thomas et eadem ratio est utrobique, quia motus reducitur ad speciem sui termini, sicut ad genus.

Sed inquirens duo. Primo, quid sit terminum esse formaliter diversum, vel unum formaliter ut intelligatur dare specificam unitatem, et diversitatem. Respondetur, duas conditiones inter alias ad hoc requiri. Prima, quod motus sit per se ad tale prædicamentum, seu speciem, et non per accidens, et per quamdam resultantiam. Secunda, quod accipiatur in entitate terminante, illa formalitas, seu ratio secundum quam attingibilis est a motu, ita quod in termino non attendatur sola

entitas, seu species termini in se absolute, sed ratio novæ, vel distinctæ attingibilitatis a tali mutatione, quidquid sit de aliis conditionibus, seu connotationibus requisitis. Et prima conditio manifesta est, quia id quod specificat debet attingi per se, quia nihil tam per se pertinet ad aliquam rem, quam id quod specificat. Id autem, quod per accidens se habet, cum per aliud attingatur, vel resultet, jam supponit specificationem factam ab illo a quo prius attingitur. Ergo non pertinet formaliter ad rationem specificantis, sed consecutive, et per accidens, et sic ut sit terminus formaliter specificans debet per se, et directe attingi a motu.

Secunda vero conditio constat, quia illa dicitur formalitas termini in specificando, ratione cujus terminat, et specificat. Ergo specificatio debet in termino sumi ab illa ratione, quæ in isto termino est ratio terminandi, et determinandi specificationem, ad hoc enim per se tendit motus, et ad reliqua omnia, quæ inveniuntur in termino tendit ratio hujus; et sic se habet, ut terminus formalis. Denique, inductione constat, quod quando circa eundem terminum materialem versantur actiones specie diversæ, una ab alia distinguitur, non ratione alicujus modi operandi, sed ratione alicujus formalitatis ex parte termini ad quem se tenentis, verbi gratia generatio, et creatio hominis ex parte termini ad quem differunt, quia aliquid amplius attingit creatio, quam generatio, scilicet materia, et omnem rationem entis, quod generatio non attingit. Et similiter transsubstantiatio attingit ex parte termini ad quem totam substantiam, quod non facit generatio, et non primo, et per se faciendi ipsam existentiam rei sicut creatio, quia potest illam supponere, et in rem præsuppositam

aliquid aliud convertere, sicut fit in conversione panis in corpus Christi, quod est non facere ex nihilo. Et similiter in ascensu, et descensu respectu ejusdem loci invenitur diversitas formalis in termino ad quem, ratione diversæ superioritatis, vel inferioritatis in situatione quod per se respicitur in loco: licet enim aliqui velint omnes motus locales esse ejusdem speciei infimæ, sicut omnes calefactiones respectu caloris, tamen est longe diversa ratio, quia ubi non est una species infima sicut calor, sed unum genere, et sic fundare potest diversas species motus. Denique, alteratio simplex, et intensio circa eandem qualitatem differunt ex parte termini ad quem, non addendo novam qualitatem, sed novam actionem, et explanationem ejusdem in subjecto, quod aliquid de novo est, ut dicemus in libris de Generatione.

Secundo inquirens: Quid dicatur terminus per accidens in motu, et quid ad illud requiratur. Respondetur ex doctrina Philosophi in hoc libro, capite primo distinguentis ex parte termini ad quem motum per accidens, et motum in partem et motum per se primo simpliciter: motus per accidens, ut si dicas album cognoscitur, album augetur, vel nutritur; accidit enim albo cognosci, vel augeri in quantum album est. Motus in partem, ut cum dicitur aliquid transmutari in colorem, quia mutatur in albedinem cujus color est pars; et cum dicitur aliquis sanari, quia curatur pede. Motus primo et per se cum neque per accidens, neque in partem, ut cum dicitur album dealbari, sanabile sanari, quod est in quarto modo per se. Denique, si volumus percipere istam distinctionem motus per accidens in partem, et per se primo, discernere per omnia quinque prædicabilia, et vide, quod ge-

nus, et differentia sunt partes intrinsecæ speciei, ipsa vero species est totum. Deinde, accedit speciei proprium, et accidens, proprium quidem necessario, accidens autem contingenter. Sic ergo motus ad aliquam speciem attingens ipsam directe, et per se, est motus per se primo, et simpliciter. Si autem attingat differentiam, et genus immediate, aut etiam aliquam aliam partem, et ipsa mediante totum, dicitur motus in partem, et ipsa mediante totum, dicitur motus in partem, licet sit per se, ut opponitur ei, quod est per accidens. Si vero attingendo speciem, seu totum, attingitur mediate proprium, vel accidens, dicitur attingi per accidens, id est, per aliud prius affectum. Quod si connexio inter terminum immediatum, et medietatum fuerit contingens, tanto magis dicitur per accidens, quia magis contingenter.

Et si dicas: Hac ratione non posse alterationem primo, et per se terminari ad qualitates mixtas, seu medias, quæ ex aliis prioribus resultant, ut ad calorem viridem, qui resultat ex albo, et nigro, et ad alias qualitates, quæ ex calore, et frigore, et aliis primis resultant, respondetur, quod istæ secundæ qualitates dicuntur mediate fieri, et resultare, non quia unito motu fiat prius unus terminus, et resultat alius, sed quia est duplex motus, unus ad unum terminum, et alius ad alium, licet secundus præsupponat primum, sicut generatio supponit alterationem, et ideo uterque motus per se respicit suum terminum, licet ordine quodam se habeant. Tunc autem dicitur per accidens aliquod attingi a motu, quando uterque terminus ad eundem motum pertinet, unus directe, et per se, alter per accidens, seu per aliud.

ARTICULUS II.

Ad quæ prædicamenta non detur motus per se?

Ut diximus supra quæstione xiv, ad motum stricte dictum requiruntur duæ conditiones secundum Philosophum in hoc libro, cap. ii et iii. Prima, ex parte terminorum, quod sit inter terminos positivos, non vero inter esse et non esse. Secunda, ex parte subjecti, quod subjectum motus non sit ens in potentia, ut materia prima, sed ens in actu. Hunc ergo motum exclusit Philosophus a septem prædicamentis. Non enim datur motus ad substantiam, neque ad relationem, neque ad actionem et passionem, situm, quando, et habere; an vero ad illa prædicamenta detur motus per accidens? Non potest æque probari de omnibus, sed juxta quod ad motum consequuntur, vel connectuntur accidentaliter cum termino primario, dicuntur per accidens terminare motum.

Et licet fundamentum unde debemus dignoscere, quod ad aliquod prædicamentum non detur per se motus, debeat sumi ex applicatione dietarum conditionum, quæ ad motum per se requiruntur, tamen non æqualiter applicat Aristoteles hoc fundamentum omnibus prædicamentis: aliter enim ostenditur ad substantiam non dari per se motum, aliter ad relationem, aliter ad actionem, et passionem, et aliter ad situm, quando et habere.

Et quidem quod attingit ad substantiam, non dubitamus dare per se ad illam mutationem quæ est generatio, cum per se substantia sit generabilis, et corruptibilis: similiter etiam si sumatur generatio cum alteratione prævia, manifestum est includere in se motum, qui

est alteratio, qui tamen ad substantiam per se et directe non terminatur. Sumendo ergo motum stricte dictum, prout est inter terminos positivos, et contrarios, constat non dari per se ad substantiam talem motum ex duplici fundamento. Primo, quia subjectum generationis est ens in potentia, scilicet materia prima, quæ secundum se non est capax procedendi ab uno termino positivo ad aliud positivum, sed a privatione ad formam, eo quod ens in potentia est materia prima, ut denudata ab omni forma. Unde si prout est in potentia tantum est subjectum generationis, formaliter talis mutatio procedit a privatione ad formam, quia idem est ens in potentia et ens privatum omni forma; ergo idem est esse subjectum generationis sub formalitate entis in potentia, ac sub formalitate procedendi a privatione ad formam, non a forma ad formam.

Secundum autem fundamentum ponitur a Philosopho in hoc libro, text. x, quia substantiæ nihil est contrarium: licet enim corrumpatur una forma, et generetur alia, tamen hoc non fit secundum contrarietatem illarum, sed procedendo a privatione unius, ad positionem alterius. Cujus duo signa affert D. Thomas in hoc libro, lect. iii. Primum, quia inter formas substantiales non est aliqua maxima, et determinata distantia, quia non sunt aliqua determinata media, per quæ de una forma substantiali fiat transitus ad aliam, non est enim inter formas substantiales ordo per se, sed materia, quæ exiit una forma, potest indifferenter suscipere aliam, nisi obstet aliqua indispositio, ratione cujus immediate non fiat transitus de qualibet forma ad quamlibet. Secundum signum est, quia formæ substantiales dant esse quod consistit in aliquo indivisibili,

et se habet sicut numeri, in quibus quælibet additio variat numerum. Ergo tales formæ non habent distantiam contrarietatis, quæ est maxima distantia, quia carent latitudine secundum magis et minus. Nec obstat, quod habent proprias passionem contrarias, sicut ignis calorem, et aqua frigus: neque enim contrarietas passionem fundare debet in contrarietate formali substantiarum; sed sufficit, quod in virtuali, qualis est privativa oppositio, in qua fundatur contraria, de quo supra diximus quæstione secunda.

Quod si dicas: Nam aliquæ formæ substantiales dantur, ad quas non potest perveniri, nisi ordine quodam per alias, sicut equus non potest generari, nisi præcesserit forma embryonis, neque vinum, nisi præcesserit forma uvæ, ergo in his datur aliqua determinata distantia, et contrarietas, quia ordine quodam transitus ad formas extremas per medias, respondetur formas istas non proprie et per se dici formas extremas, et medias. Tunc enim formæ sunt extremæ, et mediæ per se et ab intrinseco, quando formant aliquam latitudinem, et tunc per se illam formant, quando de una potest perveniri ad aliam per modum cujusdam additionis, vel minorationis, ut contingit in qualitatibus mediis, quæ ex mixtione extremarum fiunt, sive secundum rationem magis et minus. Formæ autem substantiales æque sunt incompatibiles, neque transitus de una ad aliam fit, nisi resolvendo subjectum usque ad privationem omnis formæ, et excludendo omnem formam, et de tali privatione ac materia sic nuda ab omni forma substantiali proceditur ad formam, quæ generetur, non vero per mixtionem, vel additionem ad formam præcedentem, vel minorationem secundum magis et minus, in quo funda-

tur latitudo, et contrarietas. Quare tota ratio quare requiruntur illæ formæ mediæ, neque potest immediate ex quolibet generari quodlibet, est propter ipsas dispositiones: si enim in materia lapidis possit immediate poni dispositio ad formam ultimam equi possit immediate generari equus. Nec obstat, quod aggeneratio est motus quidam continuus ad substantiam. Nam præter quam quod non est certum, quod sit continuus, ut in libro de Gener. disquiretur; tamen si id habet, est per accidens propter continuam oppositionem materiæ partialis sufficienter dispositæ, non propter ipsarum formarum latitudinem, quæ exigat et fundet continuitatem illius motus.

Quod attinet ad relationem, non est ad illam motus per se, quia ut innascatur relatio, non requiritur mutari subjectum in se de novo, sed sufficit mutari terminum. Verba Philosophi in præsentibus sunt: « Neque est motus in his, quæ sunt ad aliquid, altero enim subeunte mutationem, alterum mutationem non subiens, vere dici potest. » Cujus perspicuus sensus quod in relativis potest unum relative dici, et esse, non mutato directe subjecto in se, sed mutato termino; et cum relatio non sit in termino, sed in subjecto manifestum est, quod sic contingit consurgere relationem nulla mutatione facta in ipso subjecto, consequenter ad ipsam relationem, quæ est in subjecto, non datur per se motus, quia per se mutari deberet, sed solum per accidens, id est, per aliud, quia ex sola termini mutatione resultat.

Cæterum circa hoc difficultatem invenit D. Thomas in hoc libro, lect. III, propter relationes mutuas, quæ in utroque extremo reales sunt. Non enim salvari potest, quod per relationem existentem, in uno extremo,

dicatur alterum referri, sed unumquodque per relationem existentem in se subjective. Ergo non potest dici relative, nisi sibi adveniat de novo relatio aliqua realis, et consequenter fiet in eo aliqua mutatio, habendo quid reale, quod ante non habebat. Neque potest bene intelligi quod mutatio termino longe distante, v. g. albo resultat hic aliqua realis forma, seu entitas ex vi illius mutationis.

Respondetur D. Thomas quod si aliquis per suam mutationem efficiatur mihi æqualis me non mutato, ista æqualitas primo erat in me quodammodo, sicut in sua radice, ex qua habet esse reale: ex hoc enim quod habeo talem quantitatem competit mihi, quod sim æqualis omnibus, qui eandem quantitatem habent. Cum ergo aliquis de novo accipit illam quantitatem, ista communis radix æqualitatis determinatur ad istum, et ideo nihil advenit mihi de novo per hoc, quod incipio esse alteri æqualis per ejus mutationem. Ita D. Thomas ubi ponderandum est, quod ad relationem non datur per se motus, ut relatio distincta est a suo fundamento, seu radice: sic enim posito fundamento, ponitur tota virtus, ut resultat relatio, si ponatur terminus; neque amplius alia mutatio requiritur ex parte ipsius fundamenti, sed sola positio termini. Non tamen negat D. Thomas dari aliquam mutationem, quasi metaphysicam, quæ non est aliud quam determinatio illa fundamenti jam antea habiti in ordine ad talem terminum, qui de novo ponitur, v. g. quantitas, quando producitur in vi suæ productionis accipit omnem relationem æqualitatis, vel inæqualitatis ad quameunque terminum, qui ponatur, sed accipitur ista relatio, quasi in fundamento et radice, sicut accipitur propria passio in essentia, et sic posita essentia sine

nova mutatione physica resultat passio, si impediatur, quotiescunque de novo tollitur impedimentum: ad hunc modum se habet relatio respectu fundamenti, ipsa enim naturali actione, qua fit fundamentum, etiam fit quantum est ex vi actionis relatio, si terminus ponatur, absolute enim fieri non potest, cum non sit entitas absoluta sed respectiva, et a termino dependens. Quare non requiritur nova actio physica seu motus ex parte fundamenti, cum ab illo per resultantiam dimanet ex vi prioris actionis, qua fundamentum est positum, sed sufficit poni terminum. Et quia non effective procedit a termino, sed solum positio termini est conditio requisita, ut ex fundamento resultat; ideo nihil obstat distantia termini, ut relatio resultat.

Quantum ad actionem, et passionem, seu motum probat Philosophus ad illas non dari per se motum, sex rationibus a textu undecimo. Sufficit nobis illa, quia alias daretur processus in infinitum in quacunque actione et motu, quia si ad actionem datur actio, et ad motum motus, rursus ad illum motum, et actionem dabitur alius motus, et actio, cum eadem ratio sit. Non potest autem dari processus in infinitum per se in actionibus, quia si aliqua actio dependet ex infinitis actionibus antecedentibus, ista in singulari non producet aliquid, quousque omnes illæ ponantur, a quibus dependet: quælibet autem ex antecedentibus similiter non ponetur, neque exhibit ab agente nisi reliquæ antecedentes etiam ponantur. Ergo cum non sit devenire ad unam primam, quæ determinate exeat ab agente et moveat sequentem, ut etiam exeat nulla actio de facto exhibit, cum nunquam sit assignare aliam determinate exe-

untem, sed dependentem ab alia, et alia priori in infinitum; et sic nullus unquam dabitur effectus determinate, si actiones sunt infinitæ.

De reliquis prædicamentis, scilicet *situ*, *quando* et *habere* Philosophus nunquam reddidit rationem, quare ad illa non datur per se motus, sed id supposuit; diversa tamen ratione, ut inquit D. Thomas v. Phys. lect. III et XI Met. lect. XII, quia prædicamenti quando non meminit, quia significat esse in tempore, quod est mensura motus, et tempus in se motus est. Unde probando, quod non datur motus ad motum, manet probatum, quod per se non datur ad quando. *Situ* autem, et habitum non numeravit, quia non explicavit, nisi quemdam ordinem partium in loco vel habitudinem indumenti ad indutum, quod pertinet ad relationem; et sic probando, quod ad relationem non datur per se motus, manebat probatum, quod neque ad ista prædicamenta. Sed tamen cum ista prædicamenta non dicant solum relationem prædicamentalem, et secundum esse, ut probavimus in Logica, dis. XIX, alias non essent distincta prædicamenta a prædicamento relationis: si autem important relationem secundum dici, et ideo non datur per se motus ad illa, etiam propter eandem rationem deberet Philosophus præmittere actionem, et passionem, imo et ubi, quia omnia illa dicunt relationem secundum dici. Et ideo dicendum est, quod habuit specialem rationem præmittendi ista tria prædicamenta, quia non potest ad illa dari aliquis motus, nisi localis, qui primo, et per se est ad ubi, inde vero sequitur applicatio ordinata partium corporis, quod locatur, quod est situs vel adjacentia indumenti, quod est habitus; et si qui addunt situs, et habitus super

hoc, est aliquis ordo secundum dici consecutus ad locum. Unde se habet quoad hoc ad instar relationis prædicamentalis, ad quam ideo non datur per se motus, quia semper se habet ut aliquid consecutum: et similiter est de quando.

ARTICULUS III.

Ad quæ prædicamenta detur per se motus?

Restant ex numeratione præcedentis articuli tria prædicamenta, ad quæ terminetur motus per se, scilicet *qualitas, quantitas, et ubi*. Nam ad qualitatem terminatur alteratio, ad quantitatem augmentatio, et ad ubi motus localis.

Et quidem de ubi nulla est difficultas, cum nihil evidentiùs sit motu locali, et latitudine, seu distantia, quæ est inter terminos locorum, quæ utique per motum proprie dictum vincenda est. Et quando sic movetur aliquid, dicitur esse partim in termino a quo, partim in termino ad quem, quia immediatus locus, qui acquiritur est accessus ad unum, et recessus ab alio saltem inchoative, et ita quando movetur sursum etiam immediatus locus, qui attingitur aliquo modo superior est respectu inferioris a quo ascenditur. Acquisito autem ubi, quod immediate respicitur a motu, secundario et mediate acquiritur aliquis situs, ut stare vel sedere, et similia, quæ pertinent ad modificationem existendi in loco, et ideo idem motus sufficit attingere ubi et situm.

Circa motum alterationis etiam est certum ad qualitatem dari per se motum, licet non ad omnem, quia licet in omni qualitate inveniatur, una ex conditionibus requisitis ad motum, scilicet habere subjectum in actu, non tamen concurrunt alia

conditio, scilicet contrarietas, et sic ad secundam speciem qualitatis, et ad quartam non datur per se alteratio, quia in illis non datur latitudo contrarietatis, neque in illis, quæ consistunt in indivisibili, aut modo indivisibili fiunt.

Sed tamen circa hoc insurgit difficultas, quia latitudo et distantia, quæ datur in qualitatibus requisita ad alterationem, vel sumitur ratione ipsarum qualitatum secundum se, vel ratione intensionis et remissionis tantum. Si primo modo, non apparet quæ sit latitudo vincenda inter aliquas qualitates diversæ speciei, ut inter calorem et frigus, quia non datur aliquod medium pertranseundum ratione cuius latitudo, et contrarietas inveniatur, neque erit ratio, cur etiam ad potentiam, et impotentiam, ad figuram curvam et rectam, et similia non detur per se motus. Si vero secundo modo sumatur; ergo solum dabitur motus in qualitate penes intensionem, et remissionem, non secundum alterationem tantum. Deinde sequitur, quod lux et similiter actus amoris, odii, et aliorum similium immanentium terminare possint per se motum alterationis, quia habent intensionem, et remissionem. Denique, non repugnat calorem produci in instanti, ut calor ignis, qui est propria ejus passio; ergo qualitas perfecta caret motu, imperfecta vero si continue fiat, acquiritur quidem per motum, sed cum dentur infinita instantia et partes proportionales, quibus acquiritur, reddetur infinita in termino suæ acquisitionis.

Respondetur latitudinem, et contrarietatem in qualitatibus, ad quas datur motus, sumi non solum ratione majoris, et minoris intensionis, sed ratione etiam ipsarum qualitatum inter se. Ad hoc autem non est opus, quod inter illas qualitates contrarias fiat transitus per aliquas

medias, sed bene potest immediate ab uno contrario ad aliud contrarium fieri motus, sicut cum color albus immediate destruitur per nigrum, sine transitu per viride. Sufficit ergo ad motum alterationis, quod istæ qualitates tales sint, quod ex illis possint fieri aliquæ qualitates mixtæ, quæ sunt mediæ, licet non semper de facto fiat transitus per illas, et sic a calore ad frigus datur motus, et distantia vincenda, licet non semper fiat transitus per qualitatem temperatam, vel mixtam ex illis primis, puta odorem, vel colorem, ariditatem vel tepiditatem, etc. Ad id quod dicitur de potentia, et impotentia, respondetur quod illæ qualitates neque sunt intensibiles, et remissibiles, si præcise sunt potentiæ, neque habent latitudinem, et contrarietatem, ita ut ex earum temperamento et mixtura aliquæ potentiæ mediæ resultent; et sic non terminant motum per se immediate, sed plerumque tanquam propriæ passionis resultant ad productionem essentialis. Figuræ autem resultant ex terminatione quantitatis. Unde ad motum ipsius sine alio distincto motu consequuntur, et resultant tanquam modus terminationis ejus, non sicut qualitates secundæ, quæ resultant aut miscentur per distinctum motum ab eo, quo producantur qualitates primæ.

Ad id quod dicitur de contrarietate penes intensionem, et remissionem, respondetur esse distinctam speciem motus a simplici alteratione, et contrarietatem seu latitudinem habere in magis et minus. Unde invenitur in luce, quæ intensionis motum per se terminat, licet non alterationis simplicis, quia non fit ex contrario, sed ex privativo. Actus autem amoris, vel odii, et alii similes immanentes habent contrarietatem intentionalem, non physi-

cam, quæ solum pertinet ad motum alterationis propriæ diætæ, licet in potentiis sensitivis prærequiratur aliqua alteratio circa qualitates sensibiles, sine quibus tales actus non fiunt; sed hoc est præsuppositivum, et antecedenter. Ad id vero, quod dicitur de calore producto in instanti, respondetur hoc esse per accidens, quia producitur ad generationem ignis, per se tamen non repugnat seorsum fieri per motum ad se terminatum. Non requiritur autem, quod id quod terminat motum in omni statu, et modo illum terminet, sed solum in aliquo, sicut etiam ubi per se terminat motum, et tamen non repugnat produci sine motu ad generationem, vel creationem rei existentis in loco.

De motu ad quantitatem.

Circa quantitatem major est difficultas, an per se detur motus ad illam. Multi enim contra Aristotelem tenent non dari per se motum ad quantitatem, ut Martinus in præsentis libro, notab. III, et Cabero hic dis. IV, dub. IV, n. IV, et alii. Sed moventur diversis viis, Martinus, quia putat augmentationi deesse conditionem requisitam ex parte mobilis, scilicet quod sit ens actu id quod movetur; Cabero, quia deest divisibilitas successione ipsi augmentationi, licet illam habeat per accidens ratione alterationis adjunctæ. Et tandem, quia non sufficienter redditur disparitas, cur aggeneratio, et nutritio motus non sint, augmentatio autem motus sit.

Fundamentum ergo Martinii in eo stat, quia si est aliquid subjectum mobile augmentationis, maxime ipsum vivens, quod augecit, hoc autem non mutatur, nec patitur per motum augmentationis, nam quan-

titas, quæ in augmentatione crescit vel producitur de novo, vel jam producta unitur. Si primum, illa quantitas non in vivente, quod præcedit, sed in materia, quæ de novo advenit, producitur, ergo sola illa materia mutatur; sed mutatio materiæ non est motus, ut Philosophus statuit, ergo neque augmentatio. Si vero quantitas non producitur, sed unitur, ergo idem est nutritio, et augmentatio, siquidem in tantum augmentatio fit, in quantum acquiritur illa substantia in qua est quantitas, quod utique fit per nutritionem, non per motum distinctum ad quantitatem; nutritio autem non est motus, quia in ea solum mutatur materia alimenti, mutatio autem materiæ non est motus.

Fundamentum autem Cabero in eo consistit, quia quantitas nunquam producitur per se, sed semper consequitur ipsam materiam, in qua existit, et cui est coæva in sententia hujus Auctoris. Unde nunquam producitur nova quantitas producendo partes quantitatis, nisi producendo partes materiæ. Superest ergo, quod in augmentatione crescat quantitas, quia ununtur novæ partes materiæ, et quantitatis: unio autem partium fit per indivisibilia. Ergo consistet augmentatio in hoc solum, quod nova indivisibilia producantur. Unde sequitur, quod augmentatio erit indivisibilis, quia solum terminatur ad indivisibilia, et non erit continua, quia indivisibilia non continuantur: nec salvatur hoc dicendo, quod per augmentationem producitur superficies uniens partes profunditatis: in superficie autem potest inveniri motus continuus, quia latitudinem, et extensionem habet. Sed tunc inciditur in aliud inconveniens: tum quia versus profunditatem non dabitur augmentatio continua, quia ipsæ superficies non sunt sibi im-

mediatæ, et continuæ: tum quia alias sola profunditas erit coæva materiæ, non vero superficies, et alia indivisibilia, quia hæc producuntur de novo in augmentatione. Quod tamen non est multum inconveniens, cum videamus mutari in quantitate indivisibilia terminativa, quoties mutatur per divisionem terminatio quantitatis: unde tandem iste Auctor tenet per augmentationem produci superficiem unitivam partium quantitatis, per accidens autem quantitatem moveri ratione alterationis adjunctæ.

Denique, urgetur utraque sententia illo communi argumento: Quia non potest dari augmentatio, nisi adjuncta nutritione, eo quod nova quantitas petit novam partem materiæ, alias penetraretur cum antiqua, si utraque esset in eadem parte materiæ. Sed hoc ipso, quod producitur nova pars substantiæ, consequitur nova quantitas partialis tantquam passio illius. Ergo non est necesse ponere novum motum ad quantitatem præter illam actionem, quæ terminatur ad substantiam immediate, et mediate ad quantitatem.

Nihilominus sententia Aristotelis deserenda non est, quam communiter Peripatetici sequuntur et utraque schola D. Thomæ et Scoti, scilicet dari ad quantitatem per se motum augmentationis.

Fundamentum est, quia in quantitate invenitur utraque conditio ad motum requisita, scilicet quod subjectum ejus, sit ens in actu, et in ipsa detur contrarietas. Quod quantitas habeat pro subjecto ens in actu constat, quia ejus subjectum est corpus, corpus autem non est sola materia, sed constituitur in esse corporis per formam, quia si materia de se esset corpus in actu, generatio substantialis non terminaretur per

se ad corpus, sed ad corpus ut tale, quod est non fieri simpliciter, sed secundum quid, ut argumentatur Aristoteles II Physic. tex. lxxi et lxxvi, et D. Thomas ibi lect. xiv, et I de Gener. tex. xi, lect. vi. Imo non potest intelligi, quomodo forma substantialis possit præbere gradum specificum talis corporis, v. g. lapidis vel ligni, et non gradum genericum corporis secundum se, cum ab eadem forma, seu entitate proveniat gradus specificus, et genericus, alias distinguerentur realiter. Et si Deus separaret formam lapidis a materia, esset in illa forma gradus specificus sine generico, quod repugnat. Sic ergo materia habet rationem corporis per formam, atque adeo corpus est ens in actu et non pura potentia, utpote compositum ex materia et forma, ergo subjectum quantitatis, quod est corpus, est ens in actu, et non solum pura potentia; similiter quantitas habet contrarietatem, quia habet distantiam, et latitudinem terminorum, secundum incrementum et decrementum non minus quam inter loca distantia datur contrarietas.

Nec obstat, quod Philosophus in capite de quantitate docet, quantitati nihil esse contrarium. Et deinde, quia magnum, et parvum relative opponuntur non contrarie. Respondetur enim, quod contrarietas potest sumi dupliciter. Uno modo proprie non contrarietate specifica, id est, inter duas species, quæ sub eodem genere maxime distant: alio modo minus proprie pro contrarietate quasi terminativa, seu modali, scilicet quando inter aliquos terminos datur distantia, seu latitudo percurrenda, in qua acquiruntur saltem diversi termini, seu modi, sicut in eodem spatio datur hoc modo contrarietas locorum, et in eadem qualitate datur contrarietas graduum secundum intensionem,

et remissionem. Prima contrarietas negatur in quantitate a Philosopho, non secunda; species enim quantitates, ut linea et superficies, non se expellunt a subjecto, neque contrariantur. Quod vero dicitur relative opponi magnum et parvum, respondetur verum esse si sumantur comparative, non vero si sumantur absolute secundum quod important distinctos terminos secundum latitudinem, et distantiam in eadem quantitate; sicut etiam de intensione, et remissione penes magis et minus in qualitate dicendum est.

Sed dices: Quantitatem quidem de se habere conditiones sufficientes ad motum, sed tamen ab extrinseco impediri, quia sequitur ad substantiam immediate, ut propria passio, et sic non per se, et immediate terminat motum, sed mediate. Respondetur quantitatem in prima generatione substantiæ consequi ad modum propriæ passionis: in ageneratione autem, seu incremento non se habet, ut propria passio, sed est accidens contingens, quod potest adesse, et abesse: neque habet necessariam connexionem cum re, quæ augmentatur: accidentale enim est viventi, quod habeat tantam vel tantam latitudinem augmenti, vel decrementi, cum sine illa possit conservari in minori, vel in majori, et sic potest distinctum motum terminare, non solum ab ipsa generatione, qua primo producitur substantia, sed etiam ab ageneratione, qua producitur pars substantiæ, eo quod bene potest dari nutritio, seu aggeneratio sine eo, quod detur augmentatio, ut cum vivens pervenit ad terminum sui incrementi, et deinceps conservatur, et nutritur, et non crescit, nec decrescit, quia quantum advenit de substantia, tantum deperdit. Ergo requiritur distincta actio præter nutritionem, qua ita superaddatur nova

quantitas, quod de præcedenti non tantum consumatur, quantum superadditur: hoc enim speciale est in augmentatione, neque invenitur in sola nutritione, et ita est actio distincta, quæ respicit novam quantitatem non absolute, ut poterat consequi ad substantiam, sed ut crescentem, id est, ita superaddentem ad quantitatem antiquam, quod non æque, vel plus deperdatur, quam acquiratur, ad quod requiritur nova terminatio quantitatis secundum latitudinem majoris, vel minoris extensionis, quod sufficit ad distinctum motum, licet præsupponat aliam priorem actionem ad substantiam, sicut in qualitate motus intensio et remissionis respicit diversam terminationem qualitatis, et tamen est distinctus motus ab alteratione simpliciter.

Ad fundamentum primæ sententiæ, respondetur negando antecedens. Ad probationem dicitur, quod sive quantitas partialis producatur de novo, sive tantum uniatur præexistenti, nunquam habet pro subjecto nudam materiam, sed ipsum corpus vivens, quod est subjectum quantitatis, neque ad augmentandam quantitatem sufficit solum nutritio, vel aggeneratio, ut præcise tangit substantiam, quia salvari possunt tales actiones sine augmentatione, ut quando vivens nutritur, nec tamen crescit, et tamen sequitur quantitas ad illam partem. Quare requiritur diversa actio, quæ respiciat quantitatem ut superaddentem ad præcedentem quantitatem, et producentem ipsas partes quantitatis, vel saltem terminationem earum novam, quæ faciat crescere præcedentem, et hæc habet pro subjecto substantiam ipsam viventis, tam præcedentem, quam de novo aggeneratam, quia utramque immutat, licet diverso modo; præcedentem enim immutat tanquam id, cui ac-

cessionem quantitatis adjungit, et terminationem ejus, quæ minor erat, in majorem immutat; substantiam vero de novo nutritam, et aggeneratam respicit, ut subjectum illius partialis quantitatis, non absolute, sed ut conjungendæ præcedenti, et distinctam terminationem majoris extensionis constituentis.

Ad secundum fundamentum respondetur, quantitatem non recipi in sola materia, sed in ipso composito, quod est corpus, ut jam diximus, et amplius in libris de generatione ostenditur. Dicitur autem quantitas eorum materiae, sicut forma corporeitatis, ad quam sequitur, non quod eadem numero forma semper sit in materia, neque eadem numero quantitas quæ formam sequitur; sed quia nunquam deest aliqua forma corporeitatis materiae, neque aliqua quantitas. Et quando dicitur, quod adveniente nova quantitate, non producit ipsa nova quantitas, sed indivisibile aliquid unius partes ejus, respondetur ipsam etiam quantitatem partialem produci, quia quantitas illa quæ erat in alimento, v. g. in pane corrumpitur, sicut ipsa forma panis, et ad introductionem formæ viventis, consequitur etiam nova quantitas propria viventis, quæ tamen in quantum facit crescere præcedentem, et constituit majorem vel minorem quantitatem, secundum distinctam terminationem, accidentalis est ipsi viventi, et potest produci distincta actione, quæ est augmentatio, et non ut propria passio resultabit. Quod si quantitas sit de novo in illa parte, quæ aggeneratur inconveniens est, quod solum ipsum indivisibile, producat de novo per augmentationem, et quantitas ipsa dimanet, quantum ad partes indivisibiles, tum quia non est major ratio, quod consequatur quantitas ad substantiam, quantum ad partes divisibiles, quam quoad indi-

visibilia, v. g. lineam vel superficiem, cum sine istis non constet quantitas, neque coalescat: tum quia quando sit continua aggeneratio ignis per papyrus, vel viventis per alimentum, cum illa indivisibilia non sint immediata, discontinuabitur ille motus: et cum non sit major ratio, quod attingat unum indivisibile, quam aliud, attinget omnia distinctis actionibus, non continuando per partes si illas non producit; et consequenter requirentur infinitæ actiones, sicut sunt infinita indivisibilia, si quodlibet seorsum percurratur, et attingitur.

Ad ultimum patet ex dictis, quod nutritio formaliter solum attingit substantiam partialem, quæ secundum se non producit, ut habens contrarium nec realiter, nec modaliter, sive secundum diversam terminationem, imo etiam ut habet quantitatem adjunctam, adhuc non producit per motum, et actionem distinctam ipsa quantitas partialis absolute considerata, sed secundum quod induit diversam terminationem secundum latitudinem, et distantiam majoris, et minoris; sic enim habet sufficientem contrarietatem ad motum augmentationis, et sic illa quantitas in quantum major non est propria passio viventis, quia non est illi necessario connexa, siquidem sine ipsa potest dari tale vivens, est ergo illa terminatio solum accidens, et sic potest terminare distinctum motum ab actione producente substantiam, ex qua resultat propria passio, sed non quantitas, ut major, vel minor.

ARTICULUS IV.

Unde sumatur unitas numerica motus?

Specialis difficultas est de principio unitatis numerice in motu, quia

non sufficit ad illam unitas numerica termini; tum quia de illo erit eadem difficultas, unde sumatur unitas numerica termini, si enim sumitur ex eo, quod producitur ab ista numero actione erit circulus, sumendo unitatem numericam termini a motu, et motus a termino; tum quia circa eundem terminum, non repugnat dari plures motus, ut cum idem locus numero sæpius repetitur. Hoc tamen non multum urget, quia circa eundem locum extrinsecum per diversos motus, diversa ubi producuntur.

Dicendum ergo est, quod unitas numerica motus præsupponit quidem unitatem specificam termini a quo sumitur ejus species, et superaddit duplicem continuitatem, scilicet temporis, et mobilis; ut videlicet neque motus interrumpatur quæ ex parte temporis, neque diversitate subjecti ex parte mobilis. Ita sumitur ex D. Thoma in hoc libro, lect. vii, ubi inquit: «Ad hoc quod motus sit continuus, requiritur, quod sit unus secundum speciem, quæ quidem unitas speciei est in motu ex re, in quam est motus. Secundo requiritur, quod sit unius, subjecti, quia diversorum subjectorum motus possunt esse habiti (id est, consequenter se habentes) sed non continui. Tertio, requiritur ad continuitatem motus, et unitatem, quod sit unus tempore ad hoc, quod non interveniat aliqua immobilitas, vel quies, quia si deficeret aliquid tempus motui, in quo scilicet non moveretur, sequeretur quod quiesceret in illo, si autem quies interponitur, erunt multi motus, et non unus.» Hæc D. Thomas. Cum ergo stantibus istis conditionibus non interrumpatur motus, sequitur quod maneat unus, quia ejus unitas numerica consistit in continuitate successiois non in aliqua indivisibilitate; et ideo requiritur ad ejus unitatem id,

quod est commune omnibus accidentibus, scilicet unitas subjecti, quia in duobus subjectis non est unum accidens, et requiritur id, quod speciale est motui, scilicet unitas successioneis ex parte temporis.

Si vero inquiras: Cur etiam non requiratur unitas motoris, seu causæ efficientis, et unitas loci, quia diversis motoribus, et in diversis locis non progreditur unus motus, respondetur, quod unitas motoris entitative, et absolute non requiritur ad unitatem motus, quia potest unus motus procedere a pluribus causis partialibus in eodem subjecto, ut cum navis trahitur a pluribus: solum ergo requiritur unitas causæ, non quidem numerica, sed una ratio causæ totalis; sed hæc non ex ratione motus, ut motus esset, sed ut actio, et causalitas, quæ non potest exire a duplici causa totali, quod etiam est commune omni effectui, ut effectus est, et non solum ratione motus. Unitas autem loci involvitur in ipsa unitate mobilis, quod in pluribus locis esse non potest: et in unitate termini, si sit motus localis, quia in diversis locis non datur unus terminus.

Sunt tamen quædam vulgares objectiones contra has condiciones. Prima, contra unitatem ex parte termini, quia in motu locali continuo variantur plura ubi, ut cum lapis decedit, vel aliquis ambulat per leucam, variantur diversa ubi, quia acquiruntur diversa loca, seu distantia, et aliæ amittuntur; et tamen ille motus est unus numero, quia est continuus tempore, et subjecto. Idem argumentum fit de motu intensionis, qui eadem continuatione acquirit plures gradus, quorum quilibet potest terminare motum.

Secundo, contra unitatem mobilis est vulgare exemplum in cane decedente de turri, si in medio moriatur, vel si deambulante prægnata, ani-

metur fœtus, illi motus sunt in diversis subjectis, scilicet cadavere, et cane, et tamen motus est unus, quia continuus, et nulla quiete interruptus; ergo non requiritur unitas subjecti.

Tertio, contra unitatem temporis, quia tempus sumit unitatem numericam a motu, cum sit ejus duratio, ergo si motus est unus ratione temporis, datur circulus in istis unitatibus desumendis. Et confirmatur, quia tempus vel sumitur proprie pro tempore cœli, et hic est unus pro omnibus motibus mundi; et sic ab illa non potest sumi unitas numerica cujuscunque motus: vel sumitur communiter pro duratione cujuslibet motus. Et tunc dicendo, quod motus est unus, quia tempus est unum, est dicere quod est unus, quia ejus duratio est una; et hoc est petere principium. Inquirimus enim, quando motus est unus in duratione et continuitate.

Ad primum relictis variis solutionibus, respondetur quod in illo motu locali sunt plura ubi partialia et inadæquata: unum vero adæquate et simpliciter, scilicet illud in quo ultimo sistit motus; reliqua enim, quia in illis non sistitur, potius habent rationem continuantis partes motus, et transitum de uno ad aliud, quam rationem termini, et ita semper salvatur, quod terminus est unus, scilicet ubi datur ratio ultimi. Quod si motus sistat in medio, illud ubi habet rationem termini, hoc ipso, quod in eo sistitur; et tunc ab ejus unitate pendet motus, sicut de unitate numeri diximus in Logica, q. xvi.

Ad secundum respondetur, quod in illis casibus discontinuantur motus propter discontinuationem subjecti, supposito quod non manent eadem accidentia in genito, et corrupto, ut ostendimus in libris de generatione, licet maneant accidentia

simile. Et ita fallitur sensus videns continuari eundem motum, cum tamen non sit idem numero, sicut quando judicasset eandem virgam, quæ partim est viridis, partim sicca, cum tamen non sit continua, sed contigua; et si projiciatur, videtur ferri unico motu, cum tamen duplici feratur propter duplex subjectum, sicut etiam plura ligna ligata videntur ferri unico impetu, et tamen pluribus motibus moventur, sic in illo instanti motus non est, sed finis motus præcedentis, et inchoatio extrinseca sequentis, sufficitque illa quiete negativa, ut in diversis subjectis discontinuentur motus. Et si dicas, quod illi motus copulantur unico instanti indivisibili, ergo sunt partes continuæ, et non contiguæ, responderetur hoc intelligi de copulatione partium motus, vel quantitatis in eodem subjecto, in diversis autem subjectis unico instanti finiuntur, et incipiunt extrinsece diversi motus; qui erat in cane in instanti corruptionis non habet mutatum esse a se productum, sed a generatione cadaveris præventum, a qua generatur in eo loco, in quo debeat poni a motu, si non desineret motus corrupto subjecto, et ideo non est continuativum cum motu cadaveris, sed extrinsece ab illo incipit sequens pars motus cadaveris. Quomodo vero possit continuari idem motus in ascensu, et descensu, si per impulsum res projiciatur deorsum, et eodem impetu transeat ultra centrum, aut etiam resiliendo a pariete faciat motum reflexum, ita quod quies aliqua interrumpat illum motum, dicemus in lib. viii, qu. xxiii.

Ad tertium respondetur motum, et tempus ad invicem individuari in diverso genere causæ tempus a

motu in genere causæ materialis, motus a tempore, seu potius a non interruptione temporis in genere conditionis, seu formalitatis requisitæ ad unitatem motus, negatio enim ut conditio solum se habet, sicut materia individuatur a quantitate, ut a conditione, quantitas a materia, ut a subjecto. Neque in diverso genere causæ circulus vitiosus est, ut in libris Posteriorum ostendimus. Ad confirmationem respondetur quod unitas motus pendet ab unitate temporis, non ut est tempus primi mobilis, quod omnia comprehendit, neque ut est tempus proprium hujus motus in singulari positive, sed solum negative, id est, quatenus illa duratio particularis quiete non interruptitur: et sic pendet unitas numerica motus a negatione interruptionis, ut a conditione, quidquid sit de positivo tempore, quo mensuratur motus.

ARTICULUS V.

Quæ sit contrarietas in motibus, et unde sumatur?

Contrarietas in motibus potest intercedere, vel inter motum, et motum sicut frige factio, et calefactio, sicut moveri in album, vel quiescere in albo, vel inter corruptionem, et generationem respectu ejusdem rei.

DICO ERGO PRIMO: Contrarietas duorum motuum inter se sumitur ex contrarietate objectorum, seu terminorum ad quos, non ex contrarietate terminorum a quibus formaliter, et per se loquendo, licet quando est contrarietas perfecta motuum, etiam inveniatur contrarietas in terminis a quibus. Est D. Thomæ in hoc libro v, lect. viii, et Philosophi ibidem a text. xlvii, usque ad l. Et ratio primæ partis est, tum quia termini ad quos dant speciem

motui, ergo et contrarietatem, hæc enim convenit ratione speciei; tum quia termini a quibus relinquuntur termini ad quos assumuntur a motu, ex eo ergo quod termini a quibus sint contrarii solum sequitur, quod recedat a contrariis, ex eo vero quod accedat ad terminos ad quos, accipit contrarietatem, si illi contrarii sint. Imo ex contrariis terminis a quibus, confingit pervenire ad eundem terminum, ut ex albo et nigro in viride. Ergo contrarietas terminorum a quibus non constituit contrarietatem motuum per se. Secunda vero etiam ad contrarietatem conducunt, quia motus petit contrarietatem inter terminum a quo, et ad quem, cum versetur inter terminos non positivos et contrarios. Ergo sicut datur contrarietas inter terminos ad quos, ita supponetur contrarietas ex parte terminorum a quibus, si perfecta sit.

DICO SECUNDO: In mutationibus, quæ non versantur inter terminos contrarios, sicut sunt mutationes substantiales, contrarietas earum non sumitur ex contrarietate terminorum, sed ex accessu, et recessu respectu ejusdem termini. Ita D. Thomas et Philosophus citato loco. Ratio est, quia in his mutationibus termini proprie non habent contrarietatem, licet habeant impossibilitatem, sicut ut forma substantialis non compatitur cum alia, licet non habeat contrarietatem, sicut generatio equi, et generatio ignis contrarietatem non habent ex parte terminorum ad quos. Ergo contrarietas istarum mutationum, qualis est inter corruptionem, et generationem, debet sumi respectu ejusdem termini, quia generatio ignis, et corruptio ejus sunt opposita passiva, et non relative, ergo contrarie. Sumitur ergo in eis contrarietas per hoc, quod recedatur, vel accedatur circa eundem

terminum: recessus enim et accessus motus contrarii sunt, si respiciant eundem terminum: sicut etiam in passionibus animæ datur aliquando contrarietas non penes objecta, seu terminos contrarios, sed penes accessum, et recessum erga idem objectum, ut spes et desperatio, timor et gaudium respectu ejusdem objecti, ut docet D. Thomas I-II, q. XXIII, art. 1, ubi etiam tradit totam hanc doctrinam.

DICO TERTIO: Contrarietas inter motum, et quietem sumitur ex terminis oppositis, in quibus aliquid quiescit, vel movetur; respectu vero ejusdem termini quies et motus non contrariantur entitative; licet quies habeat privationem motus. Sumitur ex Aristotele et D. Thoma in hoc libro a textu LIII, lect. IX. Ratio est, quia cum aliquid movetur a contrario in contrarium, verbi gratia, ab ægritudine ad sanitatem, non contrariatur quies in sanitate, motui in sanitate: motus enim ad sanitatem, tendit ad quietem in illa; terminus autem ad quem non contrariatur motui, sed perficit, et consummat illum. Ergo neque quies in tali termino: sed quies in opposito, verbi gratia, in ægritudine contrariatur motui ad sanitatem. Sed tamen, quia quies in termino ad quem, facit cessare motum, et privat illo, dicimus opponi motui non quantum ad entitatem, quia hæc identificatur cum termino ad quem, sed quies opponitur ipsi moveri seu tendentiæ de uno ad aliud, quod est imperfectionis in motu. In mutationibus autem in quibus non est contrarietas, ut in substantia non datur proprie quia contraria mutationi, sed solum quædam negatio mutationis in esse. Hæc enim opponitur corruptioni; eo quod corruptio recedit a quiete, seu mansionem in esse. Quietem vero, seu immutationem in non esse, non assurgatur motus oppositus, quia quies;

eere in non esse solum dicit negationem ipsius esse, non autem importat aliquod subjectum, circa quod versetur motus.

Quæri solet, an possit aliquid secundum eandem partem moveri duplici motu contrario alterationis, vel locali. Secundo, an possit aliquid moveri transeundo de extremo ad extremum, et non per medium. Ad primum respondetur, quod duplici motu locali non potest aliquid moveri, quia locus est adæquatus locato, unde si datur duplex ubi, seu locus respondens duplici motui, quantumcumque minime distent, non erit locus adæquatus locato. Et eadem ratione non potest aliquid moveri duplici motu augmentationis, quia non fit sine aliqua distantia loci, quem occupat nova quantitas. At vero duplici motu alterationis in gradibus remissis non repugnat aliquid moveri, sed in gradibus intensis, quia termini alterationis sunt compatibles in gradibus remissis, ut calor et frigus; ergo et motus, quia uterque agens non impeditur agere, nisi ratione materie in qua non compatitur ejus effectus. Ergo si compatitur, non repugnat ab utroque agente procedere motus contrarius, et recipi in eodem subjecto, sicut et terminus eorum. In gradibus autem intensis, termini repugnant et se expellunt, ergo et actiones.

Ad secundum respondetur, non posse in motu continuo locali fieri transitum de extremo ad extremum, nisi per medium, licet non semper per lineam rectam, eo quod continuitas motus dependet ex continuitate spatii. Si autem non transitur per medium, discontinuatur. Et quia motus localis totam suam quantitatem habet ex parte spatii, in quo acquirit loca, et sine quantitate non habet successionem, quæ ad ejus essentiam perfinet; ideo si fit transitus sine medio ad extremum in eo ille transitus carebit spatium, et consequenter quantitate, et successione, atque adeo essentia motus physici. Angelus autem, quia non pendet a spatio in suo motu, potest per motum discretum transire ad extremum sine medio; et Deus potest transferre corpus ad alium locum sine medio, sed non per motum talis corporis, quia hic semper dependet a spatio in sua divisibilitate, et successione; est autem de ratione motus physici, quod sit successivus, et divisibilis et quantitatem habeat. Angelus autem, quia non potest corpora movere, nisi motu locali, non poterit sic transferre corpus. Quomodo vero globus perfectus movetur de puncto in punctum per planum non tangendo partes, dicemus quæstione sequenti, articulo secundo.